

quod actu facere possit omnia possibilis; ac consequenter quod sit omnipotens. *Conf.* Res mere possibilis sunt actu purum nihil; ergo non possunt actu esse objectum omnipotentis.

R. D. M. Si Deus posset divisim facere omne possibile, exhauriretur ejus potentia N. si posset facere omne possibile collective C. M., sed N. *Supp.*, quod hoc ad omnipotentiam Dei necessarium sit, aut Deo conveniat. Ut enim Deus dicatur omnia posse, satis est, ut quodlibet eorum comparatum ad divinam potentiam possit ex vi illius ita in re constitui, sicut dicitur esse possibile: non autem necesse est, ut possit quodcumque illorum facere simul cum omnibus aliis; quia in hoc potest esse, et reipsa est repugnantis, quæ non involvitur in singulorum productione; ut patet in exemplo potentis divinæ rem conservandi vel destruendi, quam creavit.

*Ad Conf.* R. D. A. Sunt purum nihil ratione existentis C. ratione essentis N. Essentis scilicet rerum possibilium sunt reales et æternæ in ideis divinis aut in ipsa essentia divina, quæ infinitis modis potest ad extra communicari.

80. *Obj. cont. III.* Christus Matth. 26. 39. Patrem sic alloquitur: *Si possibile est, transeat a me calix iste*, h. e. subtrahe me a morte imminente: Sed calix non transit, nec Pater Christum subtrahit; ergo id erat impossibile; ergo impossibile est, quidquid Deus facere non decrevit.

R. D. *Cons.* Ergo id erat impossibile absolute seu potentia absoluta et ex virium defectu N. ex hypothesi, quod Deus sic statuerit, seu potentia ordinata et ex immutabilitate decreti divini C. Inter varias impossibilitatis acceptiones, quas GREG. NAZ. Orat. 30. n. 10. et AMBR. L. 4. de fid. c. 5. refert, illa frequenter etiam in Scripturis usurpatur, qua dicitur impossibile, quod quidem absolute Deus facere potest, non tamen reipsa facit aut facere decrevit; sic enim Genes. 49. Deus ad Lóth inquit: *Non poterò facere quidquam, donec ingrediaris illuc*; Joan. 6. dicitur: *Non potest filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*; et Matth. 13. *Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum, qui eum excipiebant*. Atque simili plane modo sumi textum objectum, liquet ex Luc. 22. 42. Christi orationem sic enarrantem: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me*.

*Inst. 1.* Patres pluribus modis declarant esse tantum possibilis et Deum posse facere ea, quæ facit vel vult facere. Nam 1º. HIER. Dial. 1. cont. Pelag. n. 9. illud tantum asserit possibile, quod futurum est. 2º. FULG. L. 3. ad Trasim. c. 23. et L. 1. ad Monim. c. 12. docet Deum tantum posse, quantum vult, et tantum velle, quantum potest; DAMASC. autem L. 1. de fid. c. 8. *Potentiam Dei... sola voluntas sua metitur*. 3º. ATHENAG. L. 1. de Resurrect. n. 9. 10. GREG. NYSS. L. Catech. c. 1. et HIER. in cap. 4. Dan. ad v. 32. dicunt Deum omne id velle, quod bonum est, et eatenus etiam posse; quæ autem non vult, ideo nolle, quia vel injustum vel indignum est: unde sequitur nec Deum posse ea facere, quæ non vult facere.

R. N. A., si sermo sit de possibilitate absoluta, et quæ ad potentiam Dei secundum se spectatam refertur.

*Ad prob. 1º.* D. HIER. id tantum asserit homini possibile, quod est futurum C. possibile Deo N. Agit hic contra Pelagianos, qui hominem absque omni peccato vivere posse jactabant, probatque moraliter loquendo id fieri non

posse, quia id, si exemplum Beatæ Virginis Mariæ exceperis, factum nusquam fuit nec unquam fiet; absolute tamen id per Dei gratiam singularem fieri posse tradit idem Dial. 2. cont. Pelag. n. 16. laudatque AUG. L. 2. de pec. mer. hoc asserentem; unde potius argumentum pro nobis colligitur.

*Ad prob. 2º.* D. ET FULG. et DAMASC. his phrasibus duntaxat significabant voluntati divinæ subjacere omnia et nihil posse obsistere C. Deum nihil aliud posse nisi quod velit *subd.* nisi quod velit vel actu vel potentia C. nisi quod actu ipso tantum velit N. Primum sensum intendi ab utroque, patet ex additione, quam FULG. loco 2º facit his verbis: *Quia, cui semper subest, cum volet, posse, non aliud est in illo velle, quam posse*; et quam habet I. C. DAMASC. *Potentiam sola voluntas sua metitur, potest enim quidquid vult*; quo modo etiam loquitur AUG. Enchir. c. 96. dicens, *Deum non ob aliud vocari omnipotentem, nisi quia quidquid vult, potest; nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus*. Cæterum velle non semper strictè sumi pro iis, quæ quis actu vult, sed late etiam pro illis, quæ potest velle, declarat communis loquendi formula, qua de homine, qui sui juris est, dicimus, eum facere, quæ vult.

*Ad prob. 3º.* R. ATHENAG. et GREG. NYSSENI locutionem vel intelligendam esse de eo, quod Deus vult aut actu aut potentia, ut modo dictum; vel cum Petavio L. 5. Theol. Dog. c. 6. n. 3. dicendum eorum rationem tantum procedere, cum rem factam, aliunde, nempe ex Scriptura, constat, qualis fuit illorum de resurrectione corporum et mundi creatione loquendi materia; quia tunc inter argumenta, quibus contra infideles eadem probatur, usitatum et bonum est illud, si nec rem injustam nec Deo indignam esse monstretur. S. HIER. autem nec illam sententiam habet, nec, dum dicit I. C. *Nabuchodonosorem quasi hominem seculi locutum, aliud contendit, quam Deum non tyrannorum more, quidquid libitum est, statuere nullo æqui vel iniqui discrimine, sed pro cujusque meritis bona vel mala dispensare*.

*Inst. 2.* Patres, ac præsertim AUG. L. 2. conf. Maximin. c. 7. et L. 83. QQ. q. 50., contra Arianos probant Filium æqualem Patri in divinis; quia si Pater voluisset eum gignere æqualem sibi et non potuisset, foret imbecillus: si vero potuisset quidem sed noluisse, esset invidus; ergo similiter, si Deus posset plura vel perfectiora procreare, et reipsa non vellet, invidentiæ arguendus esset, ut idem AUG. L. 4. de Genes. ad lit. c. 16. inquit: *Si bona facere posset Deus, nec faceret, magna esset invidentia*.

R. N. *Cons.* *Disparitas est*, quia cum omnis generatio in similitudinem naturæ fieri debeat, Filio divino debebatur naturæ æqualitas: quare si Pater, quod Ariani putabant, voluntate Filium genuisset, nec æqualem tamen sibi, vel imbecillus vel præparcus aut invidus fuisset: hæc autem ratio pro rebus creatis non tenet, quibus nec esse nec ulla perfectio debetur, sed illa sunt beneficia ex liberalitate conditoris.

*Ad prob. R. 1º.* Libri de Genes. ad litt. auctoritatem non esse maximam, cum AUG. ipse L. 2. Retr. c. 24. dicat: *In quo opere plura quæsitæ, quam inventa sunt; et eorum, quæ inventa sunt, pauciora firmata: cætera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint*.

R. 2º. D. *Cons.* Et hic AUG. intelligendus est de potentia absoluta N. de potentia ordinata, si quæ illa posset, non faceret C. Nam L. 3. de lib. arb.

c. 9. n. 1. dicit, posse Deum producere meliora, et posito hoc creaturarum ordine, invidum esse, qui velit aliquam interire.

*Inst. 3.* Deus non potest facere nisi ea, quæ prævidit; quia alias posset absque providentia operari: sed prævidit ea sola, quæ facit; ergo et ea sola facere potest. *Conf. 1°.* Dei potentia et ejus voluntas sunt idem, et voluntas etiam Dei est immutabilis: sed Deus non vult alia, nisi quæ facit aut facturus est; ergo nec alia potest. 2°. Si Deus absoluta potentia posset alia, quam quæ nunc facit, facere; ergo pro priori rationis potuisset omittere decretum, quod nunc habet, vel aliud ab illo ponere: sed hoc dici nequit; nam *imprimis*, dum hoc concipimus, mere fingimus contra illas veritates reales, quod Deus in decreto sit immutabilis, et in eo non detur prius et posterius: *deinde* conciperetur, Deum potuisse eligere imperfectionem præ infinita perfectione; cum decretum sit perfectio Dei et ipse Deus, omissio autem illius nihil; ergo.

R. D. M. Deus nequit potentia ordinata facere nisi quæ prævidit C. potentia absoluta N.

*Ad prob.* R. Deum quidem sine ea, quæ modo est providentia operari posse, non tamen sine omni; quia si alia operaretur, etiam alia futura prævidisset. Itaque ex præscientia Dei inferitur tantum, ea non esse futura, quæ non sunt prævisa, minime vero non esse possibile; cum Deus alia præordinare et præscire potuerit.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. D. 1<sup>am</sup>. p. Potentia et voluntas Divina sunt idem realiter quoad entitatem et in se C. quoad tendentiam et terminationem ad objecta N. Potentia enim respicit omnia possibile, voluntas vero definita tantum et volita. *Ad 2<sup>am</sup>.* p. R. D. Voluntas Dei est immutabilis, sed libera tamen simul C. determinata etiam ex se ad unum N.

*Ad. 2<sup>am</sup>.* R. N. m. et *prob. 1<sup>am</sup>.* quia fundamentum hoc concipiendi præbet libertas Dei et creaturæ; veritates vero reales supponunt jam ordinatam Dei potentiam. Similiter N. *prob. 2<sup>am</sup>.* quia vel illa omissio aut decretum aliud foret ipse Deus, sicut jam est decretum præsens, et mutatio tantum esset in termino: vel sicut jam actus liber, prout distinctus a necessario, non est perfectio in Deo, sed prædicatum neutrum, sic nec ejus omissio imperfectio dici potest.

*Inst. 4.* Quodcumque vult Deus, semper est melius, ut inquit Aug. L. 29. c. 4. cont. Faust.; imo necesse est, juxta DAMASC. L. 2. de fid. c. 29. init. omnia a Deo optima fieri; ergo nequeunt a Deo fieri plura aut perfectiora.

R. D. A. *Quoad 1<sup>am</sup>.* p. Est simpliciter et absolute melius N. respective et comparative melius C. Aug. enim ibidem melius dicit fuisse, Christum nasci quam non nasci, ut carnis veritas illius adstrueretur solidius; et nasci ex femina, ut ne videretur muliebris sexus a salute repulsus. *Quoad 2<sup>am</sup>.* p. D. Necesse est fieri optima secundum modum C. secundum substantiam N. Deus semper agit modo perfectissimo, summa scilicet sapientia, æquitate et potentia, ubique intendendo finem ultimum præstantissimum, suam nimium gloriam, et eligendo media aptissima ad finem proximum, quem sibi proponit assequendum: quia tamen Deus in agendo ad extra omnino liber est; quia nec opus Dei ad extra quoad substantiam, quæ finita est, est optimum, nec determinari etiam potest ullum, quo non meliora et meliora in infinitum dentur; quia denique quod in se melius est, comparatum ad ordi-

nem ac seriem rerum certam, minus bonum evadit; Deus nec agit semper nec agere tenetur optimum *substantive*. Præterea discrimen inter homines ac Deum est, quod illi dicantur etiam minus bene agere, si minus bona agunt; quia ex supposito adest præceptum vel alia causa, quæ eos impellat et obliget ad meliora etiam agenda, eorumque in agendo bonitas ex nisu voluntatis et conatu incrementum capit; quorum tamen nihil respectu Dei tenet.

*Inst. 5.* Sicut ex *artefactis* hominum æstimatur eorum scientia et potentia, sic ex Dei operibus elucet ejus virtus et prudentia; ergo sicut ex melioribus artefactis magis æstimantur homines, sic dum Deus ex suis operibus maxime æstimatur, hæc debent esse maxima, et consequenter majora produci nequeunt. *Conf.* Essentia rerum se habent sicut *numeri*, quibus nihil addi aut detrahi potest, quin mutantur; et potest a Deo produci creatura omnium perfectissima; ergo Deus non potest facere substantias meliores, nec etiam species perfectiores et perfectiores.

R. T. A. N. *Cons.* Debent esse maxima secundum modum C. secundum substantiam N. Si unice attendatur creaturarum substantia, hæc in comparatione ad auctorem suum, est *tanquam nihilum*: si attendatur æstimabilitas Dei ex creaturis, hæc ex minimis etiam capi debet, quia, ut Aug. L. 11. de Civ. c. 22. ait: *Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis; quæ parva non sua granditate (nam nulla est) sed artificis sapientia metienda sunt.* Cæterum *disparitas* etiam est, quod cum homines materia, instrumentis et aliorum ministerio egeant, non possunt ostendere suam industriam nisi in *artefactis*; Deus autem, qui his omnibus ad quidpiam faciendum opus non habet, hoc ipso jam satis manifestat suam virtutem ac sapientiam, et ex modo etiam in minimis operibus infinitam suam excellentiam aperit: ad hæc, cum ars et sapientia hominibus non sit *essentialis*, et ipsa etiam perfectioribus operibus perficiatur, ex his illa recte æstimatur; e contra, quia Deus *essentialiter* est perfectissimus, nec acquirit artem nec operando perficit, ex sola operum cognitione æstimari non debet.

*Ad Conf. R. C. 1<sup>am</sup>.* p. *Ant. et D. Cons.* Ergo non potest facere substantias accidentario meliores N. essentialiter meliores *subd.* quatenus nihil potest addere vel demere rerum essentiis C. quatenus præter essentias rerum præsentium nequeat facere alias res et sic etiam alias essentias, aut non plures et perfectiores species rerum producere N. *Ad 2<sup>am</sup>.* p. N. *Ant. et Cons.* Exclusa enim unione hypostatica, visione beatifica et maternitate B. Virginis, quas S. THOMAS, quatenus ordinem divinum includunt, vocat perfectissimas, Deus comparatione ad potentiam suam facta, nunquam facit perfectissimum *simpliciter*, nec facere etiam potest; quin tamen inde derogetur infinitæ illius potentia.

QUÆRES. An et qualis in Deo detur *Distinctio et Compositio*?

81. *Nota.* Prædicata Dei *Relativa* inter se vere distingui, extra dubium est. Circa distinctionem *Absolutorum* duplex præcipue error fuit: GILBERTUS PORRETANUS uti compositionem in Deo admisit, qua *Divinitas non est Deus, sed forma, qua Deus est*; ita videtur multis statuisse inter attributa divina

distinctionem realem: AETIUS vero et EUNOMIUS attributa omnia diversas duntaxat voces et sonos esse asserebant, ita ut nullo modo, ne ratione quidem, ab essentia divina distinguantur. Verum proscripta fuit PORRETANI doctrina in Concilio Rhemensi, praesente EUGENIO III., cui acquiescens Gilbertus cum ordinis integritate et honoris plenitudine ad suam Diocesim remeavit, prout testatur OTHO FRISING. Errorem *Eunomianorum* confutarunt SS. Patres, et damnavit Ecclesia, praesertim, quod inde pararent sibi viam ad dicendum, Filium et Spiritum S., in quibus non datur innascibilitas seu ratio improducti, non esse ejusdem essentiae et naturae cum Patre, ut constat ex GREG. NYSS. orat. 12. cont. Eunom. Hinc

82. *Dico.* Deus est simplicissimus Spiritus, uti omnis compositionis, ita et distinctionis *realis* expers, sive praedicata divina absoluta inter se, sive ad essentiam divinam referantur.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. ex dictis num. 39.*

2<sup>a</sup>. *p. ex C. Lateran. IV. c. 1. Firmiter., ex HILAR. L. 9. de TRIN. n. 61. ATHAN. L. de Decr. Syn. Nic. n. 41. THEODORET. q. 20. in Gen. et aliis PP. Conf. ex aseitate, infinita perfectione et summa identitate illius; quod Deus habet, ac demum ex aeternitate, infinitate et immutabilitate essentiae divinae. Personae autem divinae non dicunt simplicitatem, cum realiter inter se distinguantur, nec compositionem, cum non uniantur ipse inter se ad constituendam unam personam vel Deum.*

3<sup>a</sup>. *p. ex perfectissima Dei simplicitate, quae distinctionem realem praedicatorum divinorum tum inter se, tum ab essentia penitus excludit; ita Concilium Rhem. in Symbolo contra Porretanum edito, Later. IV. Innoc. III. c. Florent. quod Sess. 48. definit, omnia in divinis esse idem, ubi non intercedit oppositio relationis; ita SS. PP. Aug. Fulg. Bern. et alii. Attamen, quia Scriptura, Concilia et PP. de attributis et essentia divina loquuntur ut multis, quaedam inter ea distinctio rationis admitti debet, vi cujus non quidem judicare possum, in Deo varias esse perfectiones ceu rationes objectivas, possum tamen unam formaliter cognoscere, et ab altera praescindere, praesente ad id fundamentum pluralitate ac diversitate effectuum, quamvis a simplicissima entitate ii proveniant.*

*Si ais 1<sup>o</sup>.* In Deo est Unitas et Trinitas; ergo compositio. Major daretur in Deo simplicitas, si tres Personae divinae non distinguerentur realiter; ergo non est summa. Multa etiam Deo adveniunt de novo, v. g. decreta libera, denominationes Creatoris, Domini, Judicis; ergo saltem in Deo datur compositio ex subjecto et accidente.

R. Ad veram compositionem requiritur *distinctio* et *unio*: adeoque Personae divinae compositionem nullo modo faciunt, quia comparatae ad se invicem tantum distinguuntur, comparatae ad naturam tantum uniantur, vel potius identificantur; ergo qua parte uniantur, non distinguuntur, et qua parte distinguuntur, non uniantur. Habetur ergo unitas cum pluralitate, non vero sic, ut ex plurium unione resultet unitas. Item major daretur simplicitas, prout haec praecise dicit identitatem et opponitur distinctioni, non prout dicit carentiam unionis et opponitur compositioni. Demum nulla de novo accedunt Deo solum denominative, extrinsece et objective per ordinem ad creaturas.

*Si ais 2<sup>o</sup>.* SS. Patres passim dicunt, justitiam, sapientiam etc. non esse Dei substantiam, et variis nominibus varias perfectiones significari: saepe dicunt, ea, quae de Deo praedicantur, tantum esse diversa nomina, quibus idem omnino significetur; ergo vel distinctionem realem adstruunt, vel etiam distinctionem rationis excludunt, juxta illud in Concilio Rhem. statutum: *Ne ratio in Theologia dividat inter naturam et personam.*

R. SS. Patres, sicut quando impugnant *Eunomium*, verbis quidem durioribus videntur asserere distinctionem entitativam, reipsa vero ad scopum praefixum non intendunt nisi distinctionem rationis; ita contra *Porretanum* disputantes solum excludunt distinctionem realem et entitativam, quin propterea velint praedicata divina esse duntaxat diversa nomina. Concilium Rhem. statuit, ne ratio dividat eo modo, quo divisit *Porretanus*, scilicet entitative ac realiter.